



OJ
INTER FOLIA FRVCTV

DE

GRAECORUM EXTISPICIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

ATQUE CONSENSU

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

CONSCRIPSIT

CORNELIUS CUNTZ

[redacted]

SEMINARII REGII PHILOLOGICI

ET SOCIETATIS PHILOLOGICAE GOTTINGENSIS

SODALIS

DIE I. SEPTEMBR. A. MDCCCXXVI.

GOTTINGAE

TYPIS FRATR. BAIER.

Κυλίω κ'ἀγὼ τὸν πίθον, ὡς μὴ μόνος ἀργεῖν δοκοίμι ἐν τουτῷ πολυφώνῳ τῷ καιρῷ.

Lucianus de conscribenda historia.

VIRO

SUMME VENERABILI ATQUE AMPLISSIMO

CHRISTIANO GUILIELMO MITSCHERLICH

PHILOSOPHIAE DOCTORI,

POESEOS ET ELOQUENTIAE IN GEORGIA AUGUSTA PROFESSORI P. O.

BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI A CONSILIIS AUL.

SEMINARII REGII PHILOLOGICI DIRECTORI,

PRAECEPTORI AD URNAM USQUE COLENDO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

De extispiciis apud Graecos scripturus operae pretium mihi facere utique videbar, propterea quod et res ipsa maximi momenti est iudicanda ad perspiciendam veterum in sacris faciundis indolem, et quaestio de ea mirum quantum ad nostra us-

que tempora est neglecta. Etenim ut omittam, quoties de haruspicum disciplina verba facta sint a Viris DD. plerumque non nisi Romanorum et Etruscorum ritus atque instituta cecidisse in quaestionem, Graecos vero nullum fere exstitisse inter Viros DD. qui respexerit; quid? quod vel plane negasse nonnullos videmus, esse eandem etiam divinationis formam huic genti adtribuendam: nihilominus inveniuntur extispicia in antiquis scriptoribus, quos infra congerere quaesivi, toties commemorata, unde res non solum tamquam institutum Graecis peculiare demonstratur, verum etiam ipsorum extispiciorum usus atque ratio tam clara se praebet, ut vel maxime rei tam diu tenebris obrutae lux infundi posse videatur. Sed ne vana fiat

nostra huius rei disquisitio, et quia recentiores scriptores perpauca tantummodo et nil fere de ea re scripserunt: non nisi ex classicis auctoribus argumenta desumere studuimus. Taceam de Pitisci antiquitatibus, qui vel in Homerum extispicia inducere conatus est, taceam de Peuceri et Rosini aliorumque quum Graecarum tum Romanarum antiquitatum compendiis, qui omnia ullo modo huc referenda attrahunt, attrahentesque confundunt. Bulengeri de hac re scriptum rudis indigestaque moles summo iure est nominandum.

Quum vero et res a nobis sit in medium prolata, in qua perquirenda non modo nullam inveniebamus viam complanatam,

sed eandem etiam Virorum DD. dubitationibus tamquam firmissima obice interclusam, et tempus vehementius nos urgeret ad conficiendum opus, quippe abitum ex alma hac Georgia Augusta iamdudum parantes, non sine maxima timiditate hanc opellam eruditorum iudicio summittere ausi sumus.

---

§. 1.

Saepenumero inquirenti mihi in varias divinationis formas, quibus antiquitatis populi futura sibi a Diis aperiri confidebant, extorum inspiciendorum ratio haud ultimum utique visa est obtinere locum. Nam quum in mactandis hostiis primariam fere veteres posuissent sacrorum partem, extispicibus, quo frequentior erat sacrificiorum usus, eo paratior suppetebat exercendae artis facultas. Neque possumus, si de origine huius instituti quaerimus, diu dubie haerere; ea enim in omnibus, quae ad Deorum cultum spectabant, veteres erant diligentia, ut in minimas adeo res adtendere haud detrectarent. Itaque mirum videri non debet, eosdem adductos fuisse ad notanda ea, quae in victimarum extis singularia invenissent. Quum enim tam saepe in mactandis hostiis, eximendisque extis versarentur, fugere eos haudquaquam poterat, aliam subinde in victimis inveniri extorum formam; quam quidem rem quominus levi penderent, vetabat ipsius sacrificii sanctitas. Uti enim nihil fiebat, cuius causa non ad Deos fuisset referenda auctores; ita Deos ut in re tam proprie ad ipsorum cultum spectante, vel maxime efficaces iudi-

carent, ipsa sanctimonia ac religione impellebantur antiqui populi. Jecori ergo si deerat caput, sive cor si singulari ratione erat instructum, quisnam erat huius rei auctor censendus, praeter ipsos Deos, in quorum honorem obferebantur quum universae victimae, tum ipsae illae partes, in quibus singulares haud raro apparebant species? Utrum vero iam ipsa animalium natura ita fuerit a Diis instructa, ut illas producerent extorum formas, quae certis temporibus inveniebantur, an inter mactandum demum eiusmodi aliquid a Diis additum esset, hanc quaestionem, quamvis a philosophis postea motam, primi huius rei inventores sine dubio haud curabant, modo aliquid naturae contrarium in re tam gravi invenissent. Quid vero aliud illis signis aperire poterant Dii, nisi ipsorum de re, cuius gratia fiebant sacra, voluntatem? Rem ergo graviorem si quis suscepturus ad Deorum sibi parandum auxilium sacrificia instituerat, dissectisque hostiis praeter naturam apparebat extorum species: nonne ipsi Dii, de solita naturae via deducentes exta, rem ipsam improbare, suumque auxilium denegare videri poterant?

Religio ergo Deorumque voluntatis exploratio, quam in universum regnantem videmus apud antiquos populos, imprimisque vim suam apud Italiae gentes in res et publicas et privatas exercentem, sola extispicii statuenda est caussa. Postea vero, quum iam frequentior redditus esset huius rei usus, tot tantaque erant in inspiciendis extis notanda, ut plane disciplina exinde oriretur, quam maxime apud Etruscos viguisse constat. Etenim praemissis hisce de extispiciorum origine in universum,

ad quaestionem impeditiorem aggredi possumus, anquirentes, quaenam gens prima huius instituti sit putanda inventrix.

§. 2.

Quinam populi primi fuerint extispiciorum inventores, difficile est diiudicatu, quum apud eorum permultos hocce inveniatur institutum, ut apud Graecos, Etruscos, Romanos, omnesque fere Orientis populos; difficiliusque videtur, quum de Orientis populis eorumque notione ac indole perpauca tantummodo nobis restent, et ab eorum unoquoque extispiciorum originem deducere utique studeant viri doctissimi 1). Dimittamus vero, de extispiciorum anquirentes origine, Orientis populos, quia quam habuerint extispiciorum artem, longe aliter institutam videmus, quam Graecorum et Etruscorum, eoque magis, quum eorum extispicina plane secreta sit ac diversa ab omnium aliorum populorum in extis inspiciendis ratione. Chaldaei quidem, quod omni caret dubio, extispiciorum quandam exercuere rationem; nam obveniunt plura, quae perinde illuc referantur oportet; verum divinatio ex gallinarum bile, atque ex ranarum extis, ne ullo quidem verbo memoratur apud alium quemquam populum; quare illud divinationis genus in peculiari tractandum erit disquisitione; unde illi errare sunt iudicandi, qui

1) Gregorii Nazianzeni Steliteuticon in Julianum: τὸ θύειν οὐ παρὰ Χαλδαίων; immolare nonne a Chaldaeis? Vet. Schol. ἐκ τῶν μάγων ἡπατοσκόποι.

nimiam illorum cum Graecis hac in re coniunctionem omnino probare student 1).

Iam ergo diiudicandum restat inter Graecos atque Etruscos, (nam de Romanis, quos paulo ante commemoravimus, sermo esse non potest, quum ab Etruscis didicerint extispicinam 2),) utris primus sit eius adscribendus usus. Equidem Graecis illum derogare, Etruscisque adtribuere velim, quippe qui natura, indole, atque ingenio tales essent, qui omnium divinationum origines sibi vindicare possent 3). Hoc enim omnes

---

1) De Orientis extispicina conferre velis: Deuteron. 18, 11. Hesekiel 21, 21. extispicia Syrorum: Iuv. III, 44. VI, 549. Tacit. H. II, 78. Pausan. VI, 22. — P. J. Hartmanni dissertatio d. origlnibus anatomicae p. 13. qui nimius est in populorum omnium extispicinae coniunctione, sequutus Sam. Bochartum, in hierozoici part. I, 2, 45. caput iecinoris per יותרת intelligentem. Iosephi antiqq. III, 10. —

2) Praecipue Liv. XXVII, 37. XXXII, 1. „Acciti ex Etruria haruspices.“ —

3) Sufficiat hic O. Mülleri praeclarum de Etruscorum ingenio afferre iudicium in eius Etruriae historia, hoc anno ab Acad. Berol. praemio ornata: III, 1, 1. „Die Etrusker standen im Alterthum allgemein in dem Ansehen, die Götter auf eine vorzügliche Art zu verehren. In diesem nahm aber die Erforschung des Götterwillens einen grösseren Raum ein, als bei irgend einem andern bekannten Volke. Ihr Gottesdienst verschmolz sich mit jedem bürgerl. prakt. Interesse. Die Tuskische Divination war daher der am meisten characteristische Zug der Nation, seit allen Zeiten ein Hptpunct ihrer Geistesthätigkeit und Erziehung. —

Romanorum scriptores, qui de Etruscorum gente, qualis omnino fuerit, de eius artibus, moribus, religione aliisque institutis referunt, praecipue et Cicero testantur 1). Cui graviori caussae aliae praeterea levioris momenti possunt addi, in ipsorum extispiciorum ratione ac usu quaerendae. Nam eundem morem obtinuisse apud Graecos atque Etruscos iam exinde constat, quod nonnisi iecur et fel in usum adhibita fuerint extispiciorum; cui rei quoque accedit, quod tempus, quo celebrata dicuntur extispicia, non obstat. His omnibus de caussis, quas infra strenue ac dilucide, locis ex veteribus scriptoribus collectis, multifariamque adhibendis, probare studebimus, extispicia apud Etruscos esse orta, nemo erit, qui neget 2).

Nunc alteri accedamus rei totius disquisitioni, qua via ad Graecos pervenerint extispicia inde ab Etruscis, qui eorum fontem, ut modo argumentis probare studuimus, sibi vindicant. —

---

1) Frandsen, haruspices Berol. 1822. p. 33 — 35. — Clem. Alex. strom. I, p. 306. ed. Sylb. „ϑυτικὴν ἠκρίβωσαν Τοῦσκοι." — Liv. V, 1, „gens itaque ante omnes alias eo magis dedita religionibus, quod excelleret arte colendi eas." — Cic. d. divinatione I, 41. „Etruria autem de coelo tacta scientissime animadvertit." I, 18. l. l. nec adducar, ut rear aut in extis totam Etruriam delirare cet. Cic. har. resp. 9.

2) O. Müller l. l. III, 1, 6. Die Opferschau, das extispicium, war eine ächt-tuskische Kunst, sie wurde auch in Rom vorzugsweise von Tuskern geübt. Bruzzi dissertazione sopra l'aruspicina Toscana. Corton. T. 1. p. 43 — 53. — Eichstaedt programma Jenense a. 1822. p. 5. „Auguralis disciplina, ut omnia fere sacra orta apud Etruscos exinde ad Romanos venit."

§. 3.

At vero si rei, quomodo ad Graecos pervenerint ab Etruscis extispicia, studium impendimus, coniunctio tantummodo inter utrumque populum, sive mercatura, sive colonorum deductione, sive denique bello conciliata, probanda erit. Atque hanc quidem, quum nonnullis familiis iam inde ab initio negotium curandorum extispiciorum esset delatum, factam esse non admodum difficulter possumus probare. Jamidarum familia prima, tum Clutidarum memoratur, quae omnem utique extispiciorum usum, ubicunque occurrunt, sibi vindicasse videntur 1). Difficilius vero videatur veterum testimoniis demonstrare, illas familias in Italia aeque ac in Graecia, (id quod probetur necesse est, quandoquidem extispiciorum originem ab Etruscis subinde ad Graecos delatam statuimus) exstitisse. Iam ergo veteres ipsos, optima huius rei argumenta praebentes, inducamus. In Elide utique saepissime apud veteres scriptores inveniuntur Jamidarum itemque Clutidarum familiae, ubi et ipsas extispiciorum rationem procurasse legimus 2). Neque vero Ja-

---

1) Paus. VI, 2, 3. οἱ δὲ Ἰαμίδαι καλούμενοι μάντεις γεγόνασιν ἀπὸ Ἰάμου· τὸν δὲ εἶναι παῖδα Ἀπόλλωνος καὶ λαβεῖν μαντικήν φησιν ἐν ᾄσματι Πίνδαρος. —

2) Pindar. Ol. VI, 5. ubi Agesias βωμῷ μαντείῳ ταμίας Διὸς ἐν Πίσαι vocatur, qui fuit Eleus. Oraculum erat, ut Boekhius etiam meminit πυρομαντείας ex ἐμπύροις, et male animadvertit Gurlitt. progr. 1818. ad h. l. „Alle Kämpfer mussten auf diesem Altar (sc. ἐν Πίσᾳ Ζηνὸς ἐπ' ἀκροτάτῳ βωμῷ) Opfer bringen; diese nahm der Prie-

midae in Eliaca terra semper manserunt, sed late sparsi extispicum munere functi sunt 1), maxime apud Spartanos, et Arcades 2).

Iidem vero Jamidae mature in Italiam Siciliamque ve-

---

ster und weissagte aus ihren Eingeweiden; et ut probet hoc, confert Ol. VIII init. ubi plane de πυρομαντείᾳ est sermo. — Cf. vit. Apoll. Tyan. V, 25, p. 208. Herodot VIII, 134. Paus. VI, 2. 3. „Οἱ δὲ Ἰαμίδαι καλούμενοι cet. Cic. de div. I, 41." Elis in Peloponneso duas certas familias habet, Jamidarum unam, alteram Clutidarum, haruspicinae nobilitate praestantes." II, 12: „Inspiciamus, si placet, exta primum — an haec inter se haruspices, Etrusci, Elii contulerunt? cet. Heyne ad Pind. l. l. ed. alt. 1813. p. 33. „Nobilem Jamidarum familiam in Elide haruspicina fuisse docent quoque Paus. et Cicero."

1) Paus. dicit. l. l. constare Graecis Libycos oraculis olim usos fuisse, cum extent arae in Ammonis templo ab Eleis dedicatae.

2) Paus. III, 12, 7. „καὶ προσελθοῦσιν ὀλίγον πεποίηται μνῆμα (sc. Spartae,) τοῖς ἐξ Ἤλιδος μάντεσι καλουμένοις δὲ Ἰαμίδαις. III, 11, 6. Λακεδαιμόνιοι δὲ πείθουσι μετοικήσαντα (sc. Τισαμενόν, Ἤλειον τῶν Ἰαμιδῶν.) ἐξ Ἤλιδος μαντεύεσθαι Σπαρτιατῶν τῷ κοινῷ. Herodot IX, 33 ff. Paus IV, 15. fin. VI, 2, 2. — τοῦ δὲ Λίχα πλησίον μάντις ἕστηκεν Ἠλεῖος Θρασύβουλος ἐκ τῶν Ἰαμιδῶν, ὃς καὶ Μαντινεῦσιν ἐμαντεύσατο ἐναντία Λακεδαιμονίων καὶ Ἄγιδος τοῦ Εὐδαμίδου βασιλέως. cf. etiam. VIII, 10, 4. et III, 11. τότε οἱ Λακεδαιμόνιοι Τισαμενῷ καὶ τῷ ἐν Δελφοῖς χρηστηρίῳ πειθόμενοι. De oraculo Telmessio cf. Gronov. thes. VII, p. 31. Bulenger. de oraculis et vatibus. — „Forte venit ille ex Epiro, ubi Jamidae per longiora iam tempora erant dispersi".

nere 1); ante Pindari tempora Callias Eleus Jamida vates Telyi Sybaritarum tyranno mox Crotoniatis operam praestiterat 2) atque ex Agesiae maioribus unus ab Archia Corinthio, Syracusas condente, comes est adscitus 3).

Sicce satis in eum finem, quem proposueram, mihi dictum esse credo.

§. 4.

Nunc aggredienti mihi apud Graecos extispiciorum, eorum partium, usus habitusque descriptionem, nihil prius antiquiusque videtur agendum, quam ut spectem indagarique studeam, quaenam animalia in extispiciorum usum sint adhibita, quia id ipsum hactenus, ut videtur, non dignum habitum est, quod accuratiori et subtiliori exquisitioni subiiceretur. Perpauca tantummodo de hisce Graecorum, nihil omnino Romanorum scriptores nobis praebent, quippe qui, ut semper fieri solet, non nimis adtenti essent ad ea,. quae ipsis solita videri debebant. Praecipua commemoratione dignus utique habendus est Pausa-

---

1) Boekh. ad Pind. l. l.

2) Herodot V, 44. Κροτωνιῆται δὲ οὐδένα σφίσι φασὶν ξεῖνον προςεπιλαβέσθαι — εἰ μη Καλλίην τῶν Ἰαμιδέων μάντιν Ἠλεῖον μοῦνον. 45.: οἱ δ' αὖ Κροτωνιῆται ἐπιδεικνῦσι Καλλίῃ μὲν τῷ Ἠλείῳ ἐξαίρετα ἐν γῇ Κροτωνιήτιδι πολλὰ δοθέντα, τὰ καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι ἐνέμοντο οἱ Καλλίεω ἀπόγονοι.

3) Pind. l. l. Schol. Vrat. p. 131. —

nias, qui nonnullis solummodo verbis tantam intulit rei lucem, ut, quid apud hosce fuerit peculiare, plane perspicere possimus.

Graeci primis temporibus tria tantum animalium genera mactabant, hoedos, agnos, vitulos, quae visceribus inspiciendis substruerent 1); posteriori tempore alia etiam adhibita sunt animalia, cum addita a Graecis ex ipsorum ingenio, utpote pro unius cuiusque arbitrio 2), tum desumta e vicinarum gentium ritu 3) atque vaticinandi ratione 4). Sicce multorum aliorum

1) Paus. VI, 2. p. 455. μαντικὴ δὲ ἡ μὲν ἐρίφων καὶ ἀρνῶν τε καὶ μόσχων ἐκ παλαιοῦ δήλη καθεστῶσα ἐστιν ἀνθρώποις. Animadvertas velim verba ἐκ παλαιοῦ καθεστῶσα, quae dicere videntur: iam ab extispiciorum origine.
cf. etiam Eurip. Electr. v. 827.
„——καὶ λαβὼν μόσχου πόδα cet."
Apud Aeschylum nulla de hac re invenitur commemoratio, uti etiam apud Xenophontem, tametsi in multis Anabaseos locis meminit σφαγιῶν.

2) Paus. l. l. „καὶ κύων ἱερεῖον δὴ παρ' αὐτῷ (ad Thrasybuli statuam) κεῖται διατετμημένος δὲ δίχα καὶ φαίνων τὸ ἧπαρ" et paulo post: „κυσὶ δὲ οὐδένες, ἐπί γε μαντικῆς νομίζουσιν οὐδὲν χρᾶσθαι. ἔοικεν οὖν ἰδίαν τινὰ ὁ Θρασύβουλος ἐπὶ σπλάγχνων μαντικὴν καταστήσασθαι."

3) τόμια τοῦ ἵππου docet Paus. in Lacon. „equi exta consuluisse Tyndareum." —

4) Cic. de div. II, 12, §. 28. „alios enim alio more videmus exta interpretari, nec esse unam omnium disciplinam." —

animalium exta a Graecis consulta esse legimus, quorum inventio ab ingenio ipsorum longe aliena, alia quadam caussa in Graecorum extispicinam immigraret. Syri columbas, gallinasque hunc ad finem mactabant 1), Cyprii suem omnium primi 2); bina iecinora leporibus circa Briletum et Pharnen, et in Chersoneso circa Propontidem esse inventa, memorat Cicero l. l. Lusitani hominum exta consuluere, ut ait Strabo 3). Quaenam animalia deinde ad Deorum voluntatem explorandam mactaverint Romani, docet Suidas 4).

Dolendum etiam atque etiam praeterea est, nobis non plura reservata esse veterum Graecorum scriptorum loca, ex quibus de hac re aliquid certius possit constitui. Ne Xenophon quidem, qui in Cyri expeditione multifariam fecit de extispiciis mentionem 5) hanc in rem aliquid confert. Qua de caussa permoti Graeci primum non nisi capros, vitulos, oves

1) Cic. de div. II, 12, §. 29. „gallinaceum fel."

2) Paus. VI, 2. „Κύπριοι δὲ ὡς καὶ ὑσὶν ἐπεξευρόντες εἰσὶ μαντεύεσθαι.

3) Strabo III, p. 154. ad ed. Amstel. 1707. p. 232.

4) Suidas s. v. θυσία: „θύσον ἓξ θυσίαι ἓξ ἐμψύχων ἐθύοντο, προβάτου, ὑός, βοός, αἰγός, ὄρνιθος, χηνός", quorum nonnulla ex Orientis gentium extispicina desumta sint oportet. — cf. et Tacit. H. II, 78. II, 3. Tatian ad Graecos p. 3. Oxon. — O. Müller l. l. —

5) Anabas. I, 8, 15. IV, 3, 19. V, 2, 9. VI, 2, 13. VII, 8, 10. II, 1, 9. „ὅπως ἴδοι τὰ ἱερὰ ἐξηρημένα." —

huic fini aptas putaverint 1), non aliter potest extricari, nisi ut istum morem ab Etruscis, qui illis animalibus nimis abundarent, desumtum dicamus, quatenus etiam alia animalia ab iis adhibita posterioribus tantummodo temporibus memorantur. —

§. 5.

Primis tragicorum temporibus si afferuntur apud Graecos τὰ σπλάγχνα (vel τὸ σπλάγχνον), nonnisi duas viscerum partes intelligendas volumus, iecur scilicet et fel; aliae enim partes, ut iam dictum est a nobis, in extis inspiciendis, neque apud Graecos neque apud Etruscos occurrunt. Itaque etiam quum quas nos cordi adtribuimus provincias, in iecur inferrent Graecorum scriptores, σπλάγχνον saepius pro hoc positum invenimus 2). In omnibus utique Graecorum scriptis semper non nisi iecur et fel aliquid portentura videmus, et reliquae extorum partes postea, quum extispiciorum usus latior factus esset atque subtilior, adiectae sunt 3).

---

1) Huic contradicere videtur quae exhibentur in Stanleii comm. in Aesch. ad ed. Butl. Cantabr. 1809. ex Plin. VII, 56. „Animal occidit primus Hyperbius Martis filius, Prometheus bovem." Cogites vero illum bovem, si mactatus est, quod parum adhuc liquet, neutiquam fortasse in haruspicinae usum esse mactatum, ut voluit Stanleius Plinii explicare locum.

2) Euripid. Med. vs. 220. Hippolyt. vs. 118. Alcest. vs. 1012. Cyclops vs. 423. Sic et exta nonnunquam iecur significant. cf. O. Müller l. l.

3) Plin. XI, 37. „Cum rex Pyrrhus ex Italia discessisset, cor in ex-

Sic cor etiam apud Graecos nusquam invenitur inter exta 1); quod idem iam per se clarum, quum Romani ab Etruscis discentes haruspicinam post Graecos, id extorum partibus adiicerent. Atque sequentibus etiam seculis, licet aliae in consilium adhibitae fuerint viscerum partes, primo tamen loco hepar consuluerunt. De pulmone, liene et praecordiis nil certi statuere possumus; quare sufficiat ea tantummodo commemorari a scriptoribus Romanis, qui ad constituendos Graecorum usus nil utique fecisse videntur.

Quum vero primum semper teneret locum hepar, ea de caussa ars tota dicta fuit et ἡπατοσκοπία 2); similiter exinde

---

tis haruspices aspicere coeperunt." — Alexander ab Alex. gen. dies, V, 25. „quo tempore Pyrrhus post multiplices clades Italia pulsus fuit, hoc observarunt haruspices, ut si cor cet." Valer. Max. I, 6. Diog. Laert. vit. Pythag. ap. Bul. l. l. „primi quidem omnium hepar solum (sc. non fel.) inspexisse videntur. Eurip. Med. 40. Orest. 1090. — Quare fortasse, quum duae tantum spectandae obiicerentur extorum partes, Eustath. in Homer comm. III, p. 1405. „ἀμφώβολα esse τῷ Σοφόκλει αἱ διὰ σπλάγχνων μαντεῖαι contendit. Soph. ex rec. Erfurdt. Lond. 1819. p. 258.

1) Alex. ab A. l. l. „ex corde quoque, unde sanguinis origo manat, licet a principio auspicia sumere minime solerent." Plin. XI, 37. XXVIII, 2. —

2) Suidas s. v. „ἡπατοσκοπία, ἡ τῶν ἐγκάτων ἀνατομὴ δι' ὧν προεμήνυον τὰ συμβησόμενα." cf. Hartmann l. l. p. 7. Philostr. vit. Apollon. 8.

prout dicti ἱεροσκόποι, βωμοσκόποι (haruspices ab hara, ara.) a quibu seiungendi τερατοσκόποι 1).

Sed nunc erit dicendum, quae extispicibus in universum inspicientibus aliquid notaverint; in quam rem primum adhibeamus Aeschylum 2), qui de viscerum laevitate aliqua commemoravit, quibus palam fit, in faustis extispiciis nihil neque languere neque confectum esse debuisse a morbo. Similis quoque apud Romanos invenitur ratio 3). Tum ad extorum colorem respiciebant veteres, si iecur v. c. grata ac nativa purpura] ru-

---

1) cf. Eichstaedt progr. Jen. a. 1823. p. 6.

2) Aesch. Prom. ad edit. Butl. 1809. vs. 502

Σπλάγχνων τε λειότητα, καὶ χροιὰν τίνα
Ἔχοντ᾽ ἂν εἴη δαίμοσιν πρὸς ἡδονήν.

Hoc in loco, qui maximus est in illustranda Graecorum extispicina Aeschylus omnes hominum inventiones commemorat, quorum et ipsam extispicinam tradit Prometheo (alteri Etruscorum Tageti.) inventori. σπλάγχνων λειότης est hepatis atque fellis laevitas, χροιά, color. (Casauboni coniecturam τελειότης ambiguam mitto.) Quibuscum velis conferre Alex. ab. A. V, 25. „quorum (sc. viscerum) ex habitu atque colore salubritatis et pestilentiae signa ostenduntur. cf. Eichstaedt pr. 1822. p. 9. —

3) Lucan. Phars. I, 608 – 638. Ovid. met. VII, vs. 601. J. H. Müller de extispiciis veterum §. 3. „si iecur aut obsitum vulneribus, aut duritie contractum corrugatumque abscessibus cet. haec piacularia esse funestaque persuasum erat.

beret, nullaque esset contaminatum labe 1). In ipsa mactatione observabat etiam Romanus haruspex, largusne et sanus effluueret sanguis. Si enim praeter naturam, sive plus sive minus cruoris ebulliret, tetrum omen habebatur 2). Omnis praeterea fere extorum pars suum quodque praebebat omen, ut fel, Neptuno sacrum 3), si nimis grande esset, inundationes, tempestates aliasque ad aquam referendas indicabat calamitates 4). Damna atque hereditates, ut ait Cicero l. l. indicere possunt varii extorum modi; iidem tempus dirimere ac diem differre traduntur 5).

§. 6.

Ultimam huius dissertationis partem, de iecinore atque felle, de eorumque in extispiciis ratione tractantem, nunc aggrediamur, quae quanti sit momenti ex sequentibus, uti spero, satis dilucide apparebit. — Totum animalium fere omnium 6) iecur, quamvis nobis non nisi cum tribus, quae dixi, animalium

---

1) Müller l. l. I, 3. —

2) Plin. Panegyr. Traiani ap. Bul. l. l. p. 402. „largus cruor hostiarum malum omen." Virg. Aen. IV, 455. —

3) Plin. h. n. l. l.

4) Plin. h. n. XI, 75. — Cic. de div. II, 13. §. 32. —

5) Seneca Oedip. I. l. —

6) Plin. h. n. l. l. „Equi, muli, asini, cervi (s. potius omnia cervorum genera) caprae, apri, cameli, delphini non habent fel. Murium aliqui habent, cet." —

generibus sit res, duabus e partibus constat, iecore ipso et felle. Iecur tam diligenter observabant extispices 1), ut et minimae eius partes inspectione dignae haberentur, unde et nobis λοβός, πύλαι, δοχαί subtiliori percontationi sunt subiicienda.

Iecur respexerunt veteres ut omnis vitae sedem, quia ob vivum eius rubrumque colorem sanguinis fabricam in eo posuerunt, uti poetas antiquissimos eapropter in describendis affectibus induxisse legimus non cordis, sed iecinoris percussionem 2). Iecur sedes est vaticinii 3), ut periti extispices opinati sunt, et praesagium futurorum 4). Hoc errore procul dubio factum est, ut in inspiciendis visceribus primas partes hepati detulerint veteres, sibi persuadentes, nulla ex re certius de statu animalis, vel naturali vel praeternaturali iudicari posse, quam ex sanguine eiusque officina, hepate: memores inter alia illius axiomatis: qualis sanguis, talis spiritus, tales actiones.

---

3) Certe iecur pars fuit, in qua pene omnis haruspicum disciplina versaretur. Buleng. I. l. p. 397. —

2) Hartmann l. l. p. 6 et 7.

3) Philostr. vit. Apoll. 8. „ἐν ἥπατί φασι τῆς τῶν αὐτῶν μαντικῆς εἶναι τρίποδα οἱ δεινοὶ ταῦτα.

4) Müller l. l. I, 6. „circa usum hepatis antiquissimum apud veteres Graecos viguit dogma, quo statuebant, munus illius esse, sanguinem ex chylo conficere, quia enim in hoc viscere rubicundum observabant colorem, putabant, chylum ex huius contractu rubedinem assumere et hic in sanguinem degenerare cet."

Contemplanda nobis nunc sunt, quia tria tantummodo, ut diximus, animalium exta in extispiciorum usum idonea sunt visa 1), vitulorum, agnorum, (ovium) et capellarum (hoedorum) iecinora. —

Primum, quid sit λόβος, perspicue ac distincte videre possumus in tabulis ad calcem adiectis, quas imprimendas curavi, quum hac in re, toties in medium relata, tam mirifice ambigatur. Alii enim alio modo definiunt, ut videatur incertum, quid in disciplina augurali sic vocarint 2). Λόβος igitur est ista iecoris pars, quae inde a latere dextro se vergit, atque hodie dicitur lobus Spigelii 3).

Cui primae lobi significationi accedit altera, ubi dimidium hepatis dextrum eo significatur 4). Romani priorem solum-

---

1) Pausan. l. l.

2) Scheffer ad Jul. Obseq. LXXVI. not. —

3) Hesych. s. v. „λοβοί, τὰ ἄκρα πάντα, κυρίως δὲ τῶν ὤτων τὰ κάτω, καὶ σημεῖον ἐν τῷ ἥπατι.“ Suidas s. v. „λοβὸς τὸ ἄκρον τοῦ ὠτίου, καὶ τοῦ ἥπατος — καὶ ἐν θυτικῇ σημεῖόν τι ἐν τῷ ἥπατι.“ Is. Casaub. in Aesch. Prom. ad edit. Butl. p. 216. „λοβὸς ἐν τῇ θυτικῇ σημεῖόν τι ἐν τῷ ἥπατι. — Etym. M. ap. V. D. Linden med. phys. c. VI, articul. 20. §. 181.“ παρὰ τοῖς θυτικοῖς τὰ κάτω μέρη τοῦ ἥπατος οὕτω λέγεται. — Ruf. Ephes. de vesicae venarumque morbis, 1. arguit, per lobum intelligi superiorem illam hepatis partem. —

4) Ruf. Ephesius l. de hum. corp. partt. ap. Buleng. l. l. p. 399.

modo lobi notionem habuerunt, partem illam eminentem dicentes caput 1); altera vero apud Romanos notione, respectu omnium extorum habito, iecur ipsum significatur, utpote primaria viscerum pars 2). Animadverterunt in eo extispices, utrum pulcrum ac vivum habitum coloremque haberet, utrum contractus corrugatusque esset necne 3). — Semper utique vero, si de lobi defectione fit commemoratio apud veteres, lobus ille, qui hodie vocatur, lobulus Spigelii est intelligendus, quem et ipsum omni ex parte diligentissime considerabant 4). Infaustissimum omen erat, quum deesset lobus (ἧπαρ ἄλοβον, σημεῖα ἄλοβα, (Arrian) ἄλοβα τὰ ἱερὰ (Xenoph. 5).) quod accidit, si lobus la-

„καὶ ἐπὶ τοῦ μεγίστου λόβου χολῆς ἀγγεῖον" Plut. Cimon: „καὶ παρῆν ὁ θύτης ἐπιδεικνύμενος αὐτῷ τὸν λόβον, οὐκ ἔχοντα κεφαλήν"; κεφαλή est quod λόβος prioris significationis. — Sam. Bochart, l. l. Galen. 6. adm. an. c. 8. „ἡ (sc. χολή) κατὰ τὸν μέγιστον τῶν λοβῶν τοῦ ἥπατος ἐν ἅπασι τοῖς ζῴοις ἐστὶν".

1) Plin. l. l. „Jecur in dextra parte est in eo, quod caput extorum vocant, magnae varietatis". Alex. a. A. l. l. — cf. prior. not. —

2) Alex. ab. A. l. l. „ipsum iecur caput extorum dici asserit". Buleng. l. l.

3) Aesch. Prom. l. l.

„λόβου, χολῆς τε ποικίλην εὐμορφίαν".

4) Schütz in Aesch. Prom. vs. l. Schol. B. τοῦ ἄκρου τοῦ ἥπατος. —

5) Xenoph. hist. gr. III, ad ed. Paris. 1625. p. 499. b. „τῷ Ἀγησιλάῳ γίγνεται ἄλοβα τὰ ἱερά." — p. 534, c. — „καὶ ἐφάνη τὰ ἱερὰ ἄλοβα". —

teret, membrana aliqua inclusus, vel alia quadam re impeditus integer apparere non potuit 1), quod praecipue invenitur in ovibus. Lobus si caesus erat, praesentem sacrificantis statum mutabat 2); si intrinsecus replicatum extremum iecinoris, aut si geminum iecur erat, his magna ac laeta portendebantur 3).

Iam exoritur quaestio, quid sint in iecore πύλαι. Earum notio debet esse duplex; primum, sunt venae, quae sanguinem ex hepate in cor deducunt 4); deinde cavum ipsum, per quod istae venae incurrunt 5), id ipsum, quod hodie dicitur

---

1) Eurip, El. vs. 827.
———ἱερὰ δ'ἐς χεῖρας λαβὼν
Αἴγισθος ἤθρει· καὶ λοβὸς μὲν οὐ προσῆν
Σπλάγχνοις, cet. —
Liv. XXVII, 26. Iul. Obseq. prod. LXIV, init. LXXVI. — Plin. XI, 37. Aliaque innumera exempla: Cic. de div. I, 52. „Nullum autem tristius omen erat, quam si cor aut iecur victimae plane deesset". Sueton. Caes. I, 77. de div. II, 1, 36. —

2) Plin. h. n. l. l. „caput extorum caesum — in sollicitudine ac metu perimit curas." Liv. VIII, 9. Seneca Oed. 361. Ovid. met. XV, 795.

3) Fuit et iecur duplicatum, quando sc. ita excrevit ut geminum videri posset. Sueton. Aug. c. 95. Plin. l. l. Valer. M. I, 7. — „θύοντι Αὐγούστῳ διττὰ ἥπατα — εὑρέθη". Dio. l. 36. ap. Buleng. p. 402. —

4) Ruf. Ephes. l. l. „πύλη δὲ ἥπατος ἡ φλὲψ δι' ἧς ἡ τροφὴ εἰςέρχεται", sc. in cor. —

5) Vet. Schol. Demosth. ad. or. pro cor: „πυλαία ἡ μέση τοῦ ἥπατος εὐρυχωρία παρὰ τοῖς θύταις". —

vena portarum; confer. tab. I. et II. Portae, si quodam morbo erant affectae, nec sanae apparebant inspicienti, semper malum quoddam portenderunt. 1).

Maiori iecoris dimidio adhaeret χολή 2), fel, Neptuno, velut humoris auctori, sacrum, quod et ipsum varia praebebat omina. Spectabant extispices, utrum puram claramque exhiberet speciem 3). Si geminum vel praegrande inveniebatur fel, licet prodigium esset, tamen magnae spei fortunam portendebat 4).

Hesych. s. v. πύλαι· ἐκεῖνοι γάρ ἐπισκέπτονται τὰς ἐκτροπὰς τοῦ ἥπατος καὶ τὰς φλέβας, διὸ καὶ τὰς ὅδους πύλας λέγουσιν. — idem s. v. ἀκέλευθος. —

1) Eurip. El. l. l.

„Πύλαι δὲ καὶ δοχαὶ χολῆς πέλας
Κακὰς ἔφαινον τῷ σκοποῦντι προςβολάς".

Dio. in Caracalla ap. Buleng. p. 399. „dixere haruspices ut illum diem caveret", his diserte verbis "ὅτι αἱ τοῦ ἥπατος τοῦ ἱερείου πύλαι κέκλειντο".

2) „ἐπὶ τοῦ μεγίστου λοβοῦ χολῆς ἀγγεῖον." l. l. —

3) Aesch. Prom. l. l. c. not. Schützii. —

4) Alex. ab. A. „Ante praelium apud Actium geminum fel in extis fuisse traditur". l. l. —

Plut. in Arato: „λέγεται γὰρ οὐ πρὸ πολλοῦ θύοντι τῷ Ἀράτῳ δύο χολὰς ἐν ἥπατι φανῆναι cet." atque nuntiasse extispicem, brevi eum cum hoste in gratiam rediturum. — Schol. Eurip. in Phoeniss. ap. Buleng. p. 401. „οἱ δὲ ἄκραν λαμπάδα τὴν χολὴν λέγουσι ἐν τῷ ἥπατι· σημεῖον γάρ ἐστι τῆς νίκης τε καὶ ἥττης." —

In felle sunt δοχαί, ductus, qui bilem ex hepate in fel, ex eoque iterum in stomachum ducunt, ubi necessaria est ad concoquendos cibos, (Cf. tab. I.), hodie dicti ductus cysticus, hepaticus et choledochus. — Si constaret ductus hepaticysticos etiam spectasse veteres, tum etiam isti sub δοχαῖς intelligerentur oporteret 1). Mirum deinde existit, quod nonnulla animalia, quamvis bilem habeant, felle tamen carent, quae Plinius iam enumeravit 2).

1) Blumenbach Handbuch der vergleichenden Anatomie, Abschn. VIII, p. 182. —

2) Plin. h. n. l. l. (Blumenbach. l. l. not. — Th. Brown's pseudodoxia epidemica, 1672. p. 119.) — „equi, muli, asini, cervi (sume omnia cervorum genera.) caprae, apri, cameli, delphini cet. non habent fel." — Hartmann diss. l. l.

THESES.

I.

Etruscorum extispiciis usi sunt Graeci.

II.

Historia arcana Procopio non potest adscribi auctori.

III.

In Pindari Epiniciis poëtam ex sua persona omnia, neque aliquid chorum qua talem proferre contendo.

IV.

Romam Etruscorum coloniam esse nego.

V.

Manumissionis iustae genera non tria sed quinque sunt.

VI.

Tragoedia Octavia inscripta falso Senecae tribuitur. —

VII.

Argumenta eorum, qui Heraclitum Ephesium Eleaticorum numero adscribendum autumant, reiicienda censeo.

Μόσχου τινος ἧπαρ




Tab: I.


1. δοχαί, ductus.
2. πύλαι, portae.
3. πύλαι, vena portarum.
4. lobus dexter.
5. lobus sinister.
6. ductus hepaticystici.
7. λοβός, lob: Spigelii, caput. —
8. χολή, vesica fellis. —

[illegible]

Μόσχος τινος ήπαρ




Tab: I.



1 δοχαί, ductus
2 πύλαι, portae.
3. πύλαι, vena portarum.
4. lobus dexter.
5. lobus sinister.
6. ductus hepaticystici.
7 λοβός, lob: Spigelii, caput. —
8 χολή, vesica fellis. —

Μήλου τινος ἧπαρ.




ε
παρ.

Tab. II.




1. λοβός, lob: Spigelii, caput.
2. δοχαί, ductus.
3. πύλαι, portae.
4. χολή, fel.
5. lobus dexter.
6. lobus sinister.

Μήλου τινος ἧπαρ.



τ
ηπαρ.

Tab. II.



1. λοβός, lob: Spigelii, caput.
2. δοχαί, ductus.
3. πύλαι, portae.
4. χολή, fel.
5. lobus dexter.
6. lobus sinister.

